SAVI
olicæ in Colleg

CELSISSIMUS JLLUSTRISSIMUS AC REVERENDISSIMUS DOMINUS D. ADAMUS JGNATIUS

JN KOMOROW

KOMOROWSKI

DEI & Apostolicæ Sedis Gratia

ARCHI-EPISCOPUS

GNESNENSIS

LEGATUS NATUS

Regni Poloniæ Magniq; Ducatûs Lithv:

PRIMAS

PRIMUSq; PRINCEPS

Perpetuus Commendatarius Tinecensis

ABBAS &c. &c.

Jn primo ad Archi-Diæcesanam Cathedram aditu.

à


Devotissimo Celsissimo suo Nomini Collegîo Łoviciensi *Scholarum Piarum*

SALUTATUS & ADORATUS.

Anno Æræ Vulgaris 1749.

VARSAVIÆ
Typis S. R. M. & Rei-Publicæ in Collegio *Scholarum Piarum*.

Jn
Avitum Decus
PRINCIPIS CELSISSIMI
PRIMATIS.



Exemplo & verbo pascis quas optime Pastor,
Jnsuper hoc Patrium stemma tuetur Oves.
Hinc virtus, pietas, vigilantia Præsule digna
Jnde Gregi præsto splendor Avitus adest
Jam gratis igitur Christi tentatis ovile
Tristia conservant quos stygis antra lupi.

PRINCEPS CELSISSIME DOMINE ac PROTECTOR GRATIOSISSIME.

FElix faustusq; hic Tuus ad Metropolitanæ Gnesnensis Ecclesiæ Archi-Cathedram ingressus, quod, si totam Patriam, & omnes ejus Ordines ingenti lætitiæ perfusos sensu ad mutuas sibi de Te congratulandi vices excit & evocat, quod Te vitâ vitæq; probitate Sanctiorem Aris Antistitem, in rebus Fidei propágandis zelo insignem Sedi Apostolicæ Legatum Natum, Regnatrici Domui nullâ negotiorum frangendum mole Vice-Regem, Senatui Principem omnem auctoritatis existimationisq; ejus præferentem dignitatem, Terris, Districtibus, Palatinatibusq; Primatē enixè

 exo-

exoptatum accedere videant & intueantur; profectò Ordinem noſtrum, cum ſemper alias apprimè Celſitudini Tuæ devotum, tùm de præſenti Tua fortuna maximè congratulantem Tibi, illis erga Te addicit officijs, ex quibus facilè Princeps *intelligere poſſis, & eum Tibi, Sacræq; Tuæ Purpuræ nos deferre cultum, qui à cœtu minimo maximis honore & dignitate defertur Principibus, & eam Protectionis Tutelæq; à Te implorare opem, quâ grex puſillus, Regniq; pars parva Tui, nulla dein adverſa vereamur.*

Quod quidem Protectionis Tuæ præſidium, cum tota Polona Scholarum Piarum *Provincia, tùm, & vel maximè Łovicienſe hoc Collegium à Te implorat* Princeps, *utpote illud, quod quàm in ſinu, manibusq; Divorum Anteceſſorum Tuorum geſtatum crevit, & adolevit, tàm niſi à Te Eorum Succeſſore foveatur & protegatur, ulteriori rerum ſuarum ſucceſſu, ſucceſſuumq; eventu haud poterit matureſcere. Advolvitur en jam igitur illud pronum, Tuo huic Solio, in quo Antiſtitum Antiſtes, Princeps Principum, Regum Coronator, Regni PRIMAS ab omnibus adoraris, & ſimùl quà ſenſu, quà voce, quà votô, quà animô, quà paginis iſtis aliquot, quas Celſiſſimo Nomini honoriq; Tuo dicatas eſſe voluit, quasq; Primatialibus Tuis in præſens ſubſternit plantis, Eum Te ſalutat, cujus ſummæ ab undiq; Magnitudini, cum nihil intra Patriæ limites tam auguſtum reperit, quod accedere optet, extra Patriam illud Tibi precatur faſtigium, ex quo univerſalis totius Eccleſiæ Præſes & Antiſtes adoreris.*

Celſitudini Tuæ.

Devinctiſſimum Collegium Łovicienſe
Scholarum Piarum.

SI hactenùs dubitavit Polonia an res ſuæ, rerumqué ſuarum momenta benigniori eſſent Divorum curæ, jam ubi Tu *Princeps Celſiſſime* Pontificias ampliſſima hac in Archi-Diæceſi capeſſis Tyaras, Principem occupas in Senatu locum, Vice Regiam in Regno poſſides Majeſtatem, Primatialibûs omnes inter utriuſque Gentis Antiſtites excellis purpuris, ſimulqué munere Legati Nati præemines, minime dubitare poteſt quin fauſtum, felicemqué fortunæ ſuæ curſum cuncta nutu moventis Providentiæ DEI referat in acceptis. Quod ſi enim clariùs nullum, nullumqué luculentiùs Divinæ circa res mortalium ſollicitudinis indicium eſſe poteſt, quàm ut quod illæ ſuæ ad commendationem incrementumqué gloriæ, avidis exoptant votis, hoc idem feliciore eis contingat eventu; Certe CHRISTOPHORO SZEMBEK, Tuo Princeps Prædeceſſore, cùm hâc Purpurâ, tum omni in Eccleſiam ac Patriam virtute Celſiſſimo, vitâ non minùs quàm meritis Vice-Rege dignis functo, & tota Reſpublica, & omnes Reipublicæ ordines non ampliùs optare ſibi mutuoqué præcari videbantur, quàm ut talem tantumqué ſortirentur virum, qui magni undequaq; ſuccedens in locum Principis, Princeps ipſe, ejus ita inſiſtere veſtigijs, ut mutato Principis nomine, idem erga Religionem cultus, erga Patriam amor, erga Rempublicam obſequium, erga Majeſtatem fides, erga libertatem a-

nimi affectio, erga leges Majorumqué inſtituta zelus, erga concives propenſio, erga exteros Gentis ſuæ honor, erga egenos, inopes, pupillos, orphanos, ſpe vitæ deſtitutos affabilitas, commiſeratio, liberalitas, clementia, eadem plane cerneretur. Felicem Te! quinimo terqué quaterque Beatum, Princeps CHRISTOPHORE, qui tantam Tibi Nominique Tuo in Orbe Lechico comparaſti gloriam, ut cum Te Primate Regniqué ſui Principe ob ineluctabilem mortalitatis legem continuo frui non poſſit, tum vel imagine Tui frui perpetuo Principibus ambiat in ſucceſſuris.

Et hoc communi Reipublicæ voto, cum felicem Beatumque prædicamus illum, tum plane Divinum Te Princeps Celſiſſime, neceſſe eſt prædicemus, qui non abſque ſingulari indicio, & judicio Numinis, ille palam ac coram repertus es, cujus quàm pari lacerto publicis onerata curis inſideret purpura, tam univerſæ vota Patriæ virtus coronaret. Accedis enim Regno Vice-Rex, ſed nulla negotiorum frangendus mole, Sedi Apoſtolicæ Legatus Natus, ſed nullis in propaganda fide laſſandus laboribus; Sereniſſimæ Majeſtati ſuccollator, ſed quo non firmior; Purpurato Ordini Primas, ſed quò non Auguſtior; Polonæ Nobilitati Princeps, ſed quò non celſior; Archi-Diæceſi Præſul, ſed quò non ſanctior; libertati vindex, quò non acrior; Legibus cuſtos, quo non vigilantior; Templis, Aris, Religioſis Ordinibus Prôtector, quo non melior alter potuit eveniſſe.

Quam Patriæ gloriam, Regniq; ex Te Princeps fortunam, cum Majeſtate, Sereniſſimo; heroicâ fortitudine, invictiſſimo, Paternâ erga commiſſum Divinitus ſibi Regnum curâ Clementiſſimo, foris terrori hoſtium fulmineo, Domi amori civium ſvaviſſimo Nomine AUGUSTO III. re vero ipsâ ſemper & ubique Auguſtiſſimo Regi debemus Noſtro, tum potiſſimum ad DEUM ipſum ſummamque ejus circa res noſtras referre cogimur Providentiam. Jllius enim dona, illius hæc munera ſunt, nec quidquam eſt, quod ſibi humana vis, humanumque arroget ingenium, ubi Tu Bono Paſtori Bo-

nus

nus Paſtor, Optimo Principi, Princeps Optimus Regni ſuccedis in Primatu. Non enim (quemadmodum ſæpe ſæpiùs ſolet, ut eo quo mens fert,ambituſq; jubet pertingatur facilius) Tua licet ampliſſima erga Eccleſiam ac Patriam in Publico ventilaveras merita, non generis Nobilitatem quantumvis præſtantiſſimam, ſummiſque parem magnifico jactaveras apparatu, non aulæ, niſi præſtandi Patriæ causâ obſequij adſtiteras, non Principis obtutui Te ultro ingeſſeras, non Procerum Primorumq; Regni manus contrectaveras, ſed intra limites ſummæ,ac illius plane Divinæ modeſtiæ Tuæ,quâ Pontificias etiam toties oblatas Tibi reſpueras Infulas, Te continens, ultro à Principe adſcitus, à principatu quæſitus, à Republica ad hocce honoris faſtigium expetitus es, non obtemperaturus his etiã, niſi Majeſtas,fides,Religio, libertas, Leges, gentis honor, in diſcrimen vocarentur.

Quare vide jam Princeps Celſiſſime,quantam Jlluſtriſſimo Nomini Tuo adſciveris gloriam, dum è non poſtremo quidem in Eccleſia honoris gradu, ad ſublime hoc in Republica Primatialis Purpuræ eveheris culmen; quam exiſtimationem virtute Tua comparaveris Tibi, dum Sanctis, Sanctioribuſqué Archi-Præſulibus Sanctus & Sanctior Archi-Præſul ſufficeris; quam apud omnes meriti Tui æſtimationem inveneris, dum in hoc Regno quod Principem libertate ſemper in orbe tenet locum, ſecundus poteſtate & ſubſellio collacaris. Sed non minùs adverte, quam ingenijs curam, quod lingvis negotium, quod propenſis in Te, bonumqué commune animis incitamentum admoveris, Tua hæc (aut ſi hoc renuis) Divina hæc in Te munera prædicandi. Quæ enim ætas,ſtatus, ſexus, conditio eſſe poterit quæ Tuam hanc, virtute nonniſi partam, conticeſcat gloriam? nulla profecto ætas, conditio, ſtatus eſt, ac erit, qui Te Primatem, Regnique primum Principem, ſummo Gentis honori, Reipublicæ commodo, Eccleſiæ ornamento, Boni communis utilitati Divinitùs datum non recognoſcat.

Et, ſi hoc munus præſentis Tuæ deprædicandæ

gloriæ, quam congruum Tibi, tam honorificum omnibus Reipublicæ impoſuiſti ordinibus, non ne etiam & minimæ Calaſantinæ *Scholarum Piarum Religioni* hanc eandem injunxiſti operam? iniunxeris, utpote tam multis Celſiſſimo Nomini Tuo obæratæ Nominibus, an pro magnitudine dignitatis præterieris, ut minimam, nec uſquam laudibus Tuis parem; illa tamen ſeu tenuitatis ſuæ pretium à Tua captando magnitudine, ſeu magnitudinem Tuorum in ſe beneficiorum grato penſando animo, hoc licet impari ingenio, venturis ad memoriam, aut invidiam potiùs tranſcribet ſæculis, quod fuſis toties ad DEUM precibus, continuis ad aras ſuſpirijs, enixis ubique votis Tibi ex animo hactenùs precabatur. Quod hactenus minimus Calaſantinus *Scholarum Piarum Ordo*, æqué virtutis ac magnitudinis Tuæ conſcius, Tibi precabatur Princeps, illud, quam ejus votis ſummum, tam ſuo decore ſemper illuſtre fuit & auguſtum. Quidquid enim fulget in Infulis, radiat in Mitris, nitet in Paludamentis, rubet in Purpuris, quidquid in ſubſellijs altum, in faſcibus decorum, in omni titulorum ſplendore, honorum gradu, dignitatum faſtigio, quidquid Majeſtuoſum ſublime, clarumque eſt, evenire Tibi precabatur. Quinimo ne illis quidem, quos ſummos ac maximos ubivis integer habet & veneratur orbis parcebat honoribus, quin Tibi illos vel Tua ſic exigente amplitudine, vel ſuis ita ferentibus animis precaretur.

Metiebamur nimirum virtutis Tuæ magnitudinem votis noſtris, ſeu potius vota noſtra ad Tuam compoſuimus magnitudinem, quâ Tu quoſqué adæquans maximos, ille jure merito judicabaris ab omnibus qui omnibus Eccleſiæ ac Patriæ honoribus ornareris. Non potes itaque dubitare Princeps Celſiſſime, ut qui omnia honorum inſignia, dignitatumque ornamenta, optime precantibus congeſſeramus in Te animîs, non etiam hanc Archi-Præſulei honoris eminentiam Tibi deferremus; Imo verò eò majore animorum æſtu, nos Tibi hunc precari arbitrêre quo illum omnibus Eccleſiæ ac Patriæ congeſtis decoribûs cumulatum, in Regno hoc eſſe fu-

iſſe-

iſſeque ſemper recenſuimus. Qui quoniam feliciſſimo eventu Tibi contigerat; functi nos jam aliquomodo noſtris erga Te ſumus votis, ſed erga Celſitudinem præſentemque hunc Tuũ in Republica Magiſtratum minime functi obſequijs. Nam quorũ antehac intererat ſumma quæque præcari Tibi, nunc cum ampliſſima ac maxima es conſecutus, intereſt eorundem, prædicare quam hinc Tibi Nominique Tuo gloriam & exiſtimationem adſciveris, Supremo huic in Republicą muneri, quod decus & ornamentum Genere, virtuteque Tua attuleris, ac demum quod Patriæ quodve Eccleſiæ emolumentum hoc Tuo optime geſto Magiſtratu ſis allaturus.

Atqué inprimis, quam gloriam, quamvé exiſtimationem præſentis acceſſione honoris, Tibi Princeps Nominiqué Tuo adſciveris, ut vel ipſé luculenter videas; Vide nativi intra limites Regni munus hoc Divinitùs oblatum eſſę Tibi, quô ſumma Eccleſiæ, ſumma Patriæ omnia teneas & attingas. Etenim ſi vel ipſius Archi-Præſulei honoris Tui ſpectaveris excellentiam, eò Te evectum eſſe jure merito arbitrêre, unde & à quo Gentis Apoſtolus, fidei Magiſter, Regum Pater, Antiſtitum Antiſtes, Sedis Apoſtolicæ Jlle ſis & audias; *per quem* non minùs Nomine ſuo, quam re factisq; inclytiſſimi Regni iſtius *ad Beatam Petri Sedem univerſalis in rebus fidei* Leo Pont: *cura & ſollicitudo devolvatur.* M.in Epiſto: 88. Nempe: hic eſt Metropolitanæ Tuæ in Regno Eccleſiæ honor, ut quemadmodum hæc illa eſt, *à qua traducem fidei & ſemina doctri-* Tertull: *næ, cæteræ per Regnum Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quo-* lib:de præ- *tidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant;* ſcrip:c 20. ita Tu Antiſtes Ejus, & Præſul hic munere & dignitate, qui in augendo fidelium numero, ſervandis conſervandiſque libertatis Eccleſiaſticæ juribus manutenenda primæva diſciplina, extirpandis vitijs, iniquis abolendis conſvetudinibus, optimis introducendis moribus ſollicitudinem ſuſcipiens ampliorem, vice fungeris Apoſtolicâ, eumq; Te geris, cujus arbitrio quam omnes per Regnum regantur Eccleſiæ, tam non modo omnęs omnium Provinciarum

Joan Wężyk Arch: Ep: in Præsat: ad Episcop:

& Statuum Ordines, ſed illi etiam *quos Majores Noſtri Legum & Reipublicæ hujus Conditores primum in Senatu & Republica locum tenere voluerunt*, quoſqué *DEUS ipſe Eccleſiæ ſuæ Præſides Cuſtodes & vigiles deſtinavit* authoritati cedere doctrinæ obſequi & morem gerere teneantur.

Quæ Archi-Præſulei muneris Tui excellentia, & ſi tantam Tibi Princeps accerſit gloriam, ut Pontificiæ plenitudine poteſtatis, in Sacro etiam Antiſtitum ordine Principem facile teneas locum; adauget tamen hanc eandem, longeque ampliorem reddit ampliſſimum illud in Eccleſia Natæ Legationis Sedis Apoſtolicæ munus. Quis enim tam rudis rerumque ignarus eſt, qui non ſummo id cuique decori & ornamento eſſe fateatur, quod & dignitate tantâ eſt, quanta maxima eſſe poteſt, & Authoritate in rebus tantâ, quanta maximos quoſqué deceat viros? Tuum profecto Natæ Legationis munus tantum eſt, ut & dignitate & Authoritate Supremi in terris Chriſti Vicarij, cujus faſtigium omnia alia antecedit, faciem præſentiamqué repræſentes. Jta nos enim de Sacro hoc Legationis Magiſtratu proditum accipimus: *Cum ſummi Pontificis proprium munus ſit ſingulis Eccleſijs Paſtorali officio incumbere, ipſeque omnibus perſonaliter & perpetuo adeſſe non poſſit, merito introductum eſt, ut ſelectiſſimos viros, perpetuos in Provincijs Legatos inſtituat, qui & id quod ipſe per ſe perſonaliter non poteſt adimplere exequerentur, & populos imbuerent reverentiâ Pontificum Romanorum commendatâ ſucceſſione & Authoritate Apoſtolica: intentatis adverſus eos minis qui Majeſtatem Romanæ Sedis minus colere viderentur.* Unde quo loco & ordine Ejus gloriam, poſitam eſſe velles Princeps, in quem Suprema in terris poteſtas ſuas transferret vices, cujus fidei & zelo imminutam Authoritatem ſuam ulciſcendam, aut in integro tutandam committeret; ad quem graviſſima, & nonniſi per ſe tractanda negotia remitteret; eô loco & ordine Tui gloriam Nominis Natæ Legationis munere poſitam eſſe exiſtima & intuere.

Olſz: Arch: pag: 51. de Leg:

Jdem: de Legat nat: pag: 51. & pag: 59.

Jam

Jam verò hôc Solio, quod Primas Primusquè Regni Princeps occupas, quid Te quid Tuo Nomine dignius evenire Tibi potuit? intellige Princeps: illud Te honoris conscendisse culmen in quo cum omnia præter solium relucent Regia, tum Tuam usquè eò provehunt gloriam, ut Te non tantum venerationi suorum, sed admirationi quoquè ac cultui reddant externorum. Quid enim ego hîc memorem aulæ Tuæ splendorem Regio parem; quid aulicorum comitatum de lectissimis in Equestri Ordine viris lectum, quid Magistratus ac Officiales adinstar regalium institutos, plenâ jurisdictione fungentes, quid securitatem immunitatemquè Principis Tuæ Personæ ubivis locorum lege vallatam publicâ, quid adducam præcedentiam, qua ne ipsis Regij sangvinis Principibus cedis; cultum, quo omnes Principes Regniquè Primores, publicos Te ingredientem congressus prosequuntur; honorem, quem Reges quoquè ipsi Tibi venienti exhibent; quid referam compellationem Tuæ dignitatis, plenam Jllustrissimi, quæ Tibi nonnisi Soli à Senatu defertur, dum de dicenda rogaris sententia; quid Primatialis impressionem Nominis, quâ rescriptis præscriptisquè, quoties titulo Reipublicæ prodeunt, publicam facis fidem, quid deniquè interventionem inter dominium & libertatem, Regem & Rempublicam, quâ tanquam Reipublicæ Plenipotentiarius, Universalis Senator, Terrarum Palatinatuumquè Princeps, Supremus legum libertatis & Majestatis Custos semper fungeris; Jpsa illa Suprema Authoritas quæ Interregni tempestate ad Primatiale hoc devolvitur Solium, Eum Te Princeps asseverat, qui cum ingenti gloria & existimatione Nominis in Supremo dignitatis fastigio constitisti.

Quàm enim illustre, quàm magnificum, quàm ingentis gloriæ plenum est illud, in hoc Regno quod origine sua Nobile, antiquitate pervetustum, nominis sui fama inclytum, amplitudine terminorum non impar majoribus, quod bellis invictū, victorijs clarum, trophæis onustum, triumphis celebre, quod opibus & honoribus florens, legibus & consvetudinibus præcellens, nativâ

libertate toti venerabile orbi semper exstitit & extat, cujus quotquot Indigenæ, tot Nobiles; quot Nobiles, tot ornatissimi Cives;quot ornatissimi Cives; tot fortissimi heroes; quot fortissimi heroes, tot arte & Marte distinctissimi Proceres; quot Proceres,tot orbis Dynastæ; quot Reges tot domitores, proculcatoresque Regnorum numerantur; quàm inquam ingentis plenum est gloriæ illud in hoc & tanto Regno, abrepto fatis Principe, truncataque suo moderatore Republicâ, Solum esse qui Pro-Regis nomine summâ rerum potiatur, labentibusque Regni succurrat rebus? qui nutantē Rempublicam, turbatos ordines, mærore ac formidine mista omnia & permista, in sinum suum suscipiat, foveat,compon at & soletur. Qui authoritate suâ Senatum convocet, cum eodem Palatinatibus,Terris, Districtibus, comitia indicat, Consiliorum quam Author, tam eorundem Præses, Moderator & Arbiter existat,Qui legationes Reipublicæ sub titulo Nominis sui ad exteras nationes expediat; missas ab ijsdem ad Rempublicam ipse audiat,& dimittat; omnia belli & pacis negotia cum Senatu transigat; Qui Reges cum ordinibus eligat, electos nominet, Nominatos coronet, coronatis primus assideat; ac demum in quo: *Coronæ Poloniæ tota consistat dignitas & libertas.* Tantis ac talibus distinctum rationibus dum attingis Princeps honorem, poterisnè amplius vel intra Te ipsum dubitare,eò Te pertigisse, unde quam summa in Ecclesiastico & politico Statu, Tua spectetur authoritas, tam maxima ubivis locorum Tui gloria audiatur Nominis? Tuum sit, quod Tu de Temetipso opinaris; nostra omnium interest asserere; fastigium hoc quod Solio nonnisi distingvitur à Regibus, quodque suorum venerationi maximæ, externorum verò admirationi & acceptioni tantæ est, ut ei aliquando suprema Orbis deferretur dignitas maximam Tibi adsciscere existimationem & gloriam, imo quo illud gradu sublimius, decore splendidius, potestate amplius, authoritate Majestuosius in Ecclesia & Patria habetur, eo Te in statu utroque magnis Majorem, summis parem, maximis reddere propiorem. Hanc

Orichov: Roxol:

Dlugoss: de Nicolao Trąba Archi-Episcopo Gnesnē:

mes in Zywiec amore ſuccenſus Majeſtatis proprijs ſtipendijs, æſtivos tolerare ſoles, necnon graves in galea portare nives, non prius deſtitit, donec Vladiſlaum Regem Poloniæ Pannonicis impoſuiſtet cervicibus. Spe frugi melioris quodſi leve fortunarum pati diſpendium Patrij honoris ergo, non piget alios; Petrum Comitem in Zywiec tunc, cum non minus Regius, quam Divus Poloniæ Princeps, ad Hungaricum invitabatur diadema, non ſeptem tantummodo arcium, ſed integri etiam ditiſſimi in Hungaria Patrimonij jacturam non pænituit ſubijſſe. Jngens hæc ſanè meriti in Rempublicam & non niſi in Celſiſſima Domo Tuo audita, Majorum Tuorum *Princeps* eſt ratio; Necdùm pro condigno ſangvinis altis honorum evehi ſubſellijs, & jam pro honore Patriæ exoticis imponere Reges gentibus; necdum, liberalem Majeſtatis ſenſiſſe dexteram, & jam pro ejus gloria ingentes profundere opes; necdum pane benemeritorum nutriri à Patria, & jam pro ejus incolumitate vitam & ſangvinem non modo quibuſvis objicere periculis ſed etiam in tumulos conijcere mortuales.

Quid verò ſi his acceſſerit Nicolai Præfecti Lancicienſis magnanimitas, quâ utramque Reipublicæ fortunam optime moderari novit. Laurentij in Struſſow, Romanis par Decijs dexteritas, quâ Tauricanos toties á Patria repreſſit impetus? Chriſtophori Sandecenſis, Petri Polanecenſis, Chriſtophori Oſwiecimenſis, Caſtellanorum, jam in Senatu prompta conſiliorum adminiſtratio, jam alibi locorum, larga, ac illa ferme profuſa liberalitas, quâ ſemper publici indigentiæ ærarij, calamitatibus Regni, anguſtis Patriæ temporibus, abſq; ullo non modo frontis, ſed mentis etiam reniſu ſuam tulêre opem? fatendum profectò, Polonæ fatendum eſt Reipublicæ, id ſe in ſummis iſtis ingenio & marte Viris à Celſiſſima Tua *Princeps* ultro citroque accepiſſe Domo, quod ne ab illis quidem juſto ſperare deberet, in quos maxima quæque opum & honorum beneficia contuliſſet.

Hâc virtutis ſemitâ, hoc meritorum quinimo be-

D ne-

neficiorum in Patriam tramite iêre omnes,quot quot de Celfiffima Tua *Princeps* recenfentur Domo Nomina: *Theodorus* Marefchalcus Curiæ Regni, *Nicolaus* Præfectus Ofwiecimenfis, *Ioannes* Dapifer Bełzenfis, *Stephanus* Regiæ Cohortis Tribunus, *Adamus* Canonicus Cracovienfis, Abbas Wąchocenfis Regens Cancellariæ Regni, *Ioannes* Pocillator Bełzenfis, *Adamus* Venator Bufcenfis, *Stephanus* Succamerarius Bełzenfis, imo verò virtute propriâ hocqué quo fummo quifque eorum præditus erat ingenio, Majorum fuorum adaugendo merita, fui in fummùm, gloriam Nominis evexerunt.

Et cum cæterorum æqué Nomine ac virtute Jlluftriffimorum Avorũ Abavorũ, Atavorumque Tuorum ampliffima in Patriam merita non diferta Oratione, fed plena cultûs & reverentiæ taciturnitate celebramus, Tui Princeps Divi Progenitoris *Ioannis* Dapiferi Novogrodenfis, quam ex præftitis Patriæ qua fagô qua Togâ obsequijs; tam, & vel maxime ex præfenti Reipublicæ fortuna, quam ex Te Germanifqué Tuis ipfa nancifcitur Fratribus, gloriam haud ufquam poffumus præterire. Egit Jlle equidem quod fummum ingenio & eloquio decet virum, in Comitijs, Conventibus, Judicijs, Tribunalibus, Fidei Defenforem, Affertorem Legum, Libertatis Vindicem, Boni communis Tutorem ftrenuiffimum. Egit virum, quo in obeundis Palatinatuum, Terrarum, Diftrictuum munijs vix exactior, in præftandis Reipublicæ obfequijs vix promptior, in fubminiftrandis Patriæ confilijs, vix prudentior, in re militari vix quifquam exftitit peritior.

Egit erga Majeftatem fidelẽ, Concives humanũ, Templa, Aras, Sacros ordines liberalem, eum erga omnes, & femper egit virum in quo, & à quo cùm fumma exoptabant omnes, maxima receperunt. Egit denique virum hunc & eum, in quem fi etiam fumma Negotiorum Regni devoluta fuiffet moles parem fe ei præftitiffet. Hæc tamen penes animi fortunæq; dona Patriæ egit Patrem hos ei gloriæ virtutisque fuæ fuperftites relinquendo filios: quorum illa & exornaretur Nominibus,

bus, & pari Nominibus merito augeretur. Nimirum ultro hoc ad virtutis ſuæ erga Regnum & Rempublicã meritum adjecit ille quod prompte in votis habuere omnes, at in eventu vix aliqui fauſte optimi Patriæ attigêre Patres: Dum ſuperes, Tuæ in nullo deſis Patriæ, cum verò defeceris, hos ei relinquito qui vultum Tui referendo Nominis, virtutis quoque referant normam & exemplar.

Talem ac tantum primumquê horum de numero ſpectandum ſe ſiſtit Jlluſtris *Stephanus* Dapifer Bełzenſis Colonellus Artileriæ Regni, cui cum par Avis Ataviſquê, par primis & ſuccedentibus Orbis Heroibus in re militari non deeſt gloria, tum & vel maxime vis illa ineſt ingenij, quâ & ea quæ ſtatum Reipublicæ concernere, & quæ ad legum juſtitiæquê rationem pertinere cenſentur, facile teneat comprehenſa. Loquitur hanc ejus ingenij felicitatem eruditioniſquê gloriam publica Orbis Poloni fama, quæ eum jam in Tribunalibus inſignem æquitate Judicem, jam in Generalibus Regni Comitijs, Strenuum Conſilio Nuntium, jam in particularibus Diſtrictuum, Terrarum, Palatinatuum Conventibus, fortem eloquio Aſſeſſorem ubiquê circumfert & deprædicat.

Non in minori famæ gloriæquê luce ſpectantur Jlluſtris *Ioſephus* Dapifer Horodlenſis, *Ignatius* Enſifer Chełmenſis, *Michael* Venator Lubaczovienſis, utpote illi qui libertatis integritati, Legum obſervantiæ, Regnatricis Majeſtatis cultui, boni communis, immunitati Terrarum Palatinatuumq; cõmodis univerſæ demũ Patriæ incolumitati maturis ſolidiſque conſilijs, promptis & exactis obſequijs, inſignibus fortunarũ impenſis, nuſquam deſiſtunt inſudare.

Quam verò gloriæ utilitatiſque ſuæ meſſem & tota Patria & omnes ejus Ordines de Jlluſtri *Petro* Venatore Braclavienſi appromittebant ſibi, dubitare nemo poteſt, quin hanc & eam, quanta maxima ab eo provenire poteſt, qui quàm alto cenſeatur de ſangvine, tam illis ſit rationibus innutritus, quibus nulli boni cõ-

munis emolumento deesse possit;At hanc Patriæ spem, speiq; de Eo eventum ipsa prævenêre Astra, citiùs hunc sibi vendicando,quo diutiùs frui,terræ in votis habuêre. Hoc tamen immaturi fati ejus saucia Respublica vulnere, haud caret, quo suum relevet dolorem, dum ea in se collata virtutis obsequiique ejus recolligit merita quibus & illa se hactenùs felicem beatamq; sentit, & illum eum, qui brevitatem vitæ, amplitudine supplens gloriæ, eam sibi in Orbe Lechico comparavit famam, ut nusquam de perenni sæculorum memoria sit excessurus.

Tuum & illud est *Princeps Celsissime* quod de *Samuele* Ordo Carmelitanus, de *Marco* Minima Congregatio Nostra, Germanis Tuis Fratribus sui legit honoris & ornamenti, quinimo tantò magis decus hoc, honorque Noster ad Sacram Tuam *Princeps* devolvitur Purpuram, quantò propiùs Jlli non Nomine Sangvineque tantùm, verum virtute etiam & merito in Ecclesiâ, ad Tuam accedunt dignitatem.

At talis & tantus dum Te *Princeps* stipat splendor, eaque circumstat gloria, quâ Tu non minùs altis Clarissimorum Virorum Nominibus, quam virtute, amplissimisque eorum in Ecclesiam ac Patriam collatis adauctus meritis, Magnus ubiq; excelsus ubique, hic ubique es, & audis, qui tot Religionis magnanimitatis,fortitudinis bellici roboris, ac indolis, proprij de stirpe Sangvinis, viva reproducis exempla, quot longâ eâque non interruptâ serie Viris Viros,Heròés Heroibus lectos succedentesque videre est & intueri, tum demum hic ab omnibus adoraris, qui quot quot honore & virtute excelsa, ac ea, magnitudine rerum à se gestarum, ipsos attingentia cælos Orbis Sarmaticus recenset Nomina, omnia hæc Celsissimo Nomini Tuo stricto affinitatis nexu adjunxisti. Quanta enim quanta est in Statu utroque Civili & Ecclesiastico gloria, quantumque primis honorum nota Subsellijs *Illustrissimorum* POTOCCIORUM, WIELOPOLSCIORUM, MYSZKOWSCIORUM, LACKORONSCIORUM, LIPSCIORUM, PONIA-

NIATOWSCIORUM, BRANICCIORUM, SAPIEHARUM, JORDANORUM, OSSOLINIORUM, SOŁTYKORUM, WALEWSCIORUM Nomina, quidquid de rebus bello & pace præclarè à se gestis suæ in orbe retinent famæ, DOBROGOSTIJ, TĘCZYNSCIJ, OLESNICCIJ, KORYCINSCIJ, KOSTKOVIJ, HUMIECCIJ, RADECCIJ, quisquis manet honor SZULIMIRSCIOS, PRZYLĘCCIOS, ŁOPACCIOS, BEKIERSCIOS, KRASINSCIOS, JAROCCIOS, SZCZAWINSCIOS, OBODYNSCIOS, GŁUZYCCIOS, BORZĘCCIOS, ZŁOTCIOS, MŁOCCIOS, GRABIANKAS, MAKOWIECCIOS, integer hic ad Te, Tuumque Celsissimum refertur Princeps Nomen, ut illud cui cum inclytissimis his Nominibus aut (ut veriùs loquar) Orbis Lechici Numinibus strictũ cognationis fædus intercedit.

His jam itaque Originis altissimæque cognationis illustratus decoribus, nonnè huic quem summum, & quo (nisi extra Regni limites Vaticanus major) conscendis honorem, parem quàm ab ipso accipis, refundis splendorem? habuerit recensueritque ille eos sui Succollatores, qui Generis originisqué suæ præstantiâ, aliquod sibi existimationis attulerunt emolumentum, Tibi Princeps cum vix quenquam parem, certè Superiorem neminem recensebit; Quinimo quotquot illi sunt, aut esse possunt, qui Te dignitate hac præiêre, suum jam illi Tibi debent honorem, ac si Ei, qui Jllustrissimis Májorum Tuorum clarus Ceris, clarior & Jpse eorum virtute Primatiale hoc occupans subsellium, luculenter demonstras, neminem nisi Genere, Generisque nobilitate parem, Ejusmodi honoris fastigium attingere potuisse.

Sed quoniam ad quodvis dignitatis culmen, pulchrior, augustiorque ést ille passus, quem qui de virtute ac ejus merito, quam superba Majorum suorum ostentatione & jactantia ad illud facit; adeo jam Tu *Princeps* omne in Te probitatis ac virtutis congessisti decus, ut cum nulla earum Tibi desit, tum omnes ita

insunt, itaque in Te elucent, ut & omnes in una, & una in omnibus videatur. Ex quo enim Divi Te terris dederant, ac primam cum viventibus igressus es aciem, sic statim eo mentem animumque converteras, eoque nisus ac conatus omnes intenderas, unde virtutis Normam, probitatis exemplar, morum gravissimorum specimen desumpsisses. Non obfuit videlicet magnæ & ad optima natæ indoli Tuæ, tenera ætas, maturo graviq; ingenio lubrica aliàs & in alijs juventus, ad instituendam optime vel à primis exordijs vitam, imo verò primâ luce, clare luculenterque adverteras, quid in moribus rectum vel dissonum, in virtute decorum, in Vitijs deforme, in omni hominis vita,quid clarum & præcellens, vel obscurum & ignobile spectaretur. Nullum jam hinc proinde Tibi cum juvenibus, nullum cum Viris, quantumvis aliunde Claris & insignibus, sed non ita bene probitate instructis consortium, hos Tu respectabas, eorum conversationibus societateque delectabaris, quorum spectatâ virtute optimeque formatâ vitâ Tibi in exemplar propositâ,ad quosvis Ecclesiæ & Patriæ usus formareris.

Jam verò juveniles egressus annos, primaque ineuntis adolescentiæ aggressus exordia, quantâ curâ & solicitudine, quamque ferventi animi æstu, ac virium conatu in illa ediscenda ferebaris Princeps, quæ Te posthac Sanctum & doctum, Sapientem & Justum, innocentem & humanarum Divinarumque rerum optime gnarum erant probatura? Sufficere Tibi Divinoque Tuo non poterant ingenio, intra Patrios limites conclusa doctioris Palladis domicilia, quare ultra illa, ultraque Patriæ fines, ea quærenda Tibi fuit Eruditionis Jnstitutio, quæ quâ Tui vastitatē complevisset ingenij, tam avidum in Literas studium satiasset.

Processisti itaque extrá Patriæ Solum, Orbem exoticum, non tam oculis lustrans, quam admirationis Tuæ famâ implens, non tam vestigijs calcans prætereuntibus quam perennaturis peragrans laudibus, apud

pud Eos ſemper Major & clarior, quibus poſtea contigiſſes. Et cum necdum de Nomine Origineque Tua quæreretur, jam Donatorũ, Caraffarum, Korczakorumque inclyta Soboles noſcebare. Ea nimirum frontis Majeſtas, oculorum decor, oris dignitas, & quod præſtantiùs eſt, ea morum compoſitio, & virtutis maturitas in Te ſpectabatur,ut niſi Maximorum Ducum,Principum Orbiſque Heroum nepos Noſcereris, noſci alius nequiiſti.

Ut verò Septicollem Urbem Dominam Orbis, Chriſtianitatisque Caput Romam, vel primo introiviſti paſſu, ſic ſtatim integram illam in Tui admirationem excivisti, ut de tanto variarum gentium confluxu, de tanta confluentis populi frequentia,de tam frequentiſſimo remanentium, tranſeuntium, commorantium eâ tempeſtate Principum numero, nemo exſtiterit, qui non Te videre, non Te alloqui, non Te ſuo aſſociatum conſortio habere exambiret; Videbaris itaque ab alijs, colebaris ab alijs, adorabaris ab alijs, ab alijs & illis nonniſi Principibus Regnorumque Proceribus ad conſortia invitabaris; Quidquid tamen hoc honore admirationeque Tui Tibi Princeps delatum eſſe exiſtimationis Orbis Polonus intuetur,intueatur delatum eſſe, non quia externus externis adveneris, cum hoc fecerint & faciant alji, non quod longa viarum ſpatia ad videndas eorum oras ſis emenſus, cum hæc metiantur & alij, non denique, quod multa vetuſtæ virtutis ac perantiquæ eruditionis revoluturus monumenta ad illos perveneris, cum ad illa volvenda, & revolvenda pervenerint perveniantque & alij, ſed quia omnes eam Tibi ineſſe mirabantur virtutem, eam ingenij admirabantur felicitatem, à qua & de qua,quàm ſuæ Regioni diuturnam famam, tam Tibi Tuoque Celſiſſimo Nomini, nullis depravandam ſæculis gloriam, eventuram autumabant. Quam enim optimè illo etiam tempore noveras Princeps qua & de qua ratione Patrios deſeruiſti limites, tam nullum peregrinationis Tuæ ſiviſti

præterijsse momentum,quod externis ad Tui admirationem, Patriæ ad utilitatem, Tibi ipsi ad æviternam gloriam non cessisset. Privatum enim seu incolebas limen, ad illa incumbebas, quæ Te non minùs eruditiorem, cultioremque ingeniô, quàm Sanctiorem virtute effecissent. Seu in Aulis Principum Primorumque Orbis versabaris, Eum Te præstitisti, qui & Tui Nominis dignitatem, & Patrij Soli honorem asseruisti; Seu demum in publicum prodieras, ea scrutatus es,quæ Te de Terrarum situ, Regnorum amplitudine, Gentium moribus, populorum legibus, Aularum in Orbe Regnantium necessitatibus, negotijs, vicissitudinibus plenè informassent. Et hoc est Princeps Celsissime, quod Te quã remotissimis à Patria regionibus adeo carum amabilemque reddiderat, ut nusquam Te dimisissent, nisi dimittendum dimissumque doluissent, tam Patriæ Regnoque integro tantopere exoptandum, Te ipso in reditu vel primis fascibus salutandum destinasset. Verum enim verò cætera inter animi ac ingenij ornamenta quibus externo sub Sole Divinam Tuam Princeps imbuendam locupletandamque mentem censueras, ea præprimis fuêre, quæ Te non Sacerdotio tantùm, minoribusque Eius honoribus, verum etiam ipsis Pontificijs Tyaris, Principibusque Purpuris præficiendum esse demonstrarent. Nam quodsi nos & quibusvis Sacri Fidelium cætûs Prælatis, & ipsis Eorum Pontificibus ut Ecclesiæ DEI, optime & cum emolumento præsint, has virtutis ingenijque dotes inesse oportere accipimus, nimirum Fidei, vitæque integritatem, Pietatem, Vigilantiam prudentiam, constantiam, excellentem doctrinam & magnanimitatem animi, Benignitatem & affabilitatẽ,modestiã & humilẽ de se suisq; rebus sensũ,profectò Tu *Princeps* ita has omnes Tibi comparasti, comparatisque ita instructus censebaris, ut vel in primo aditu, ad Nobilissimum illud Cracoviensis Cathedræ Prælatorum Collegium, & non immeritò Præsulum ac Archi-Præsulum Seminarium, adeo his excellueras, ut

eas

eas aut cum lacte materno ſuxiſſe, aut divinitùs infuſas habere credereris.

Quid enim Tibi *Princeps* defuit quod in Te quàm Fidei tam intaminatæ moribûs vitæ integritatem non probaret? Expreſſiſti in Te nedum Eorum typum, quos juxta Ambroſij ſenſum, *in fide integros, in preſſura probatos* eſſe Eccleſia voluit, ſed Ejus quem Apoſtolus deſiderat: *Eſſe amplectentem fidelem ſermonem, qui ſecundum doctrinam eſt, ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere*; cum & Ipſe,eo in dogmata Fidei ferebaris ſenſu, quē ipſa DEI veritas, univerſalem ſuam Eccleſiam retinere voluit,& cæteris (quoties Tibi ex Suggeſtu verba facienda forent) ita impreſſeras explicueraſqué ut & ij qui adversè & perversè de illis ſentiebant penitùs illis acquieſcerent, & ij qui eorum inſtitutioni & doctrinæ moribûs & vitâ contrairent, protinus ad meliorem chriſtianæ orbitam regulæ ducerentur. Et cum id vel eo fervore, qui ferventiſſimos; vél eo zelo, qui zeloziſſimos; vel eâ ſvavitate, quæ ſvaviſſimos; vel eo eloquio quod eloquentiſſimos Verbi Divini Aſſertores ſemper decet & decuit in animis efficiebas audientium, tum vel maximè non fucata vitæ innocentia, planeque ad Sanctiorem hominum modum & regulam compoſitis moribus comprobabas.

Quæ verò in DEUM pietas, quis erga Divina in Te *Princeps* exſtitit ſemperque exſtat amor? Nihil unquam egiſti & agis, quod non pro ſumma pietate ſuſceperis & ſuſcipias, nullum vitæ tempus temporiſq; horam præterijſſe ſinis & ſiviſti, quo ſpectata hæc virtus, & Viros Eccleſiaſticos apprime decens, in Te luculenter non reluceret. Templa enim & Sacras ædes, eo ſemper adijſti & ades ardore, qui ferventiſſimis in DEI obſequio viris convenit; Aris Altaribuſque eo adſtas adſtitiſtique fervore, ut veluti unus de Cæleſtibus amore divino flagrantibus Spiritibus illis adſtare obſerveris. Divinis ita functus es & fungeris officijs, ut eum

F decet,

decet, cui præ oculis eſt altoque hæret ſemper infixum animo, non alij, præterquam DEO ipſi ſuam navare operam. Tecum ipſe morabaris & moraris, ſeu in publicum prodijſti & prodis, cum domeſticis tractaveras & tractas, ſeu cum externis publica compoſueras negotia & componis, Tuis ſeu Reipublicæ inſudaſti & inſudas commodis; Unum Tibi eſt,fuitque ſemper DEI amorem, Sacrorum cultum, veræ Religionis obſervantiam, quàm intra proprij intima cordis retinere, tam aliorū animis mentibuſq; radicare.Quinimo virtutē hanc amoremqué DEI & Divorum iſtum quo magis in Te confirmes, animiſque imprimas aliorum, præterea, quæ de rebus Divinis tacita tecum mente quotidie recogitas, præter libros Aſceticos quos ſæpius volvis & revolvis, ea quotannis reiteras exercitia, quibus nonniſi Sanctioris vitæ ſectatores vacare aſſveverunt.

Et hoc tam alto, tamque pietatis plenô, cum in DEUM fereris ferebariſq; ſemper animo,tum ea curâ & vigilantiâ commiſſis Tibi ab Eccleſia & Patria inſiſtebas & inſiſtis munijs, ut cum plura ad ſemel ſuſceperis, tum omnia ita expedijſti, ut nulli Eorum deeſſe videreris. Teſtis eſt tantæ ac iſtius vix animo concipiendæ in Te virtutis,præprimis Eccleſia Cathedralis Cracoviēſis,quæ Te jam Canonicū ſuis apprime obſequijs deditū, jam Cancellarium rarâ præſtantem facundiâ, jam Præpoſitum planè ſuis devotum cōmodis obtinuit; Teſtis Decanatus Pilecenſis, qui quo diutius ſuum Te retinuit Officialem, eo vigilantiùs rebus ſúis ſenſit incumbentem; Teſtis Cænobium Sandecenſe Sancti Monialium Seraphici Patris, cujus per plures Annos Commiſſarium agens, egiſti ita ut in nullo ei defuiſſes. Teſtis Diæceſis Cracovienſis quæ multorum multoties Decanatuum videns Te Viſitatorem Eum ſemper vidit,qui pro munere ſuo depravatorum in Clero & populo morum ſerius Corrector Emendatorque extitiſſes. Teſtis Patria, quæ toties quoties Te aut aſſidentem Tribunalibus Judicem, aut Regnatrici Domui Reipublicæqué

qué

qué Ordinibus ſua promoventem negotia vidit & audijt, toties ſuis commodis multo ſudore invigilantem eſt experta. Jpſa denique teſtis Roma, cujus cum plurium negotiorum variarumque cauſarum multoties jam Judex, jam Commiſſarius exſtitiſti, tum omnes, & omnia tam ſedulo, tam vigilanter,tam indefeſsè (& quod rarius eſt) tam fauſtè feliciterque tranſegiſti & expedijſti, quam ipſa ſibi exoptabat.

Quidquid tamen hoc vel in illo virtutis meritique paſſu, aut DEO placens, aut Eccleſiæ proficuum, aut Patriæ utile, aut Tibi Nominique Tuo *Princeps* non inglorium egiſti & agis, agis & egiſti ſemper pro illa prudentia, quam cum nemo ingenitam, nemo aliunde conquiſitam, niſi deſuper inditam ſibi habet; Tu eam ita obtines, ut cæteri virtutes cæteras ſibi congenitas aſſeverent. Quod enim tempus Divinis quod humanis rebus ſit impendendum noſti optime; quo loco juſtitia; quo Clementia exercenda, perpendis; benignior cui, ſeverior cui vultus exhibendus, non neſcis; qua ratione Procerum aliquis vel de plebe, divitum, vel inopium, ſapientum, vel rudium numero tractandus ſit non ignoras; inter juſtum & injuſtum, probum & reprobum, æquum & iniquū, ita dignoſcis, ut Te Judice, nec virtus quamtumvis vitij obtenebrata fuligine ſuo præmio, nec vitium licet virtutis contectum pallio pænâ ſuâ caruerit. Qua animi dote cum Tu *Princeps* excelluiſti ſemper, & excellis ita, ut illi quibus mens ineſt Divina, dubitare non potes, quin eorum ſuperaveris gloriam, qui aut pietate in DEUM ferventes, aut amore in Patriam effuſi, aut pro legibus tuendis acriores, aut in Regnatrices Domos, inſignes, aut in bonum commune liberales, virtute & ingenio, fortunâ & opibus, clientela & obſequijs, vita & ſangvine exſtitêre. Quæquæ enim virtutes ſunt aut numerari poſſunt, illæ ſunt & numerantur, quarum aliæ ornant homines, aliæ commendant, ſola verò prudentia eſt, quæ unumquemque mortalium, & ad res maxi-

mas optime gerendas diſponit, & Supremis Eccleſiæ Patriæque obeundis Magiſtratibus perquam idoneum reddit, & denique ea eſt, ſine cujus luce cæteræ virtutes vitij caligine obvolvuntur.

Jnde eſt *Princeps*, quod tantâ rerum gerendarum ratione inſtructus, tanta in omnibus excelleas prudentia, ea magnitudine conſtantiaque polleas animi, ut niſi ad verum & rectum ullatenus flecti poſſis. Non enim Te cujuſquam vultus, non gratia, non blandientes ſermones à recto dimovent, non minæ, non intentati terrores, non ſevèrior agendi modus à verò uſquam deterruit, ad promiſſa, pollicitationes, oblata etiam munera, (quibus vis magna fortiſſimaq; ineſt) quavis immotior baſi obſtas, & licet alias, eà præſtes virtute, ut ne adverſus plebejum quemquam, ac infimi ordinis hominem, ſupercilium attollas, attamen ubi DEUS, virtus, veritas vocantur in diſcrimen, tum demum eo es animô, ut cætera omnia nihili reputans, DEUM ipſum, comitemque ejus virtutem intuearis, illud ſane in Te vivâ referens imagine, quo licet orthodoxæ fidei, veritatiſq; inimicus & hoſtis apud ſuum Jmperatorem, Magnum dilaudavit Baſilium: *Præſtantior eſt, quam ut minis; firmior, quam ut ſermonibus; fortior, quam ut verborum blanditijs poſſit ſuperari.* Atque hinc eſt *Princeps* quod Te ſeu Judice, ſeu Commiſſariô, ſeu quovis alio in Eccleſia & Patria fungente munere, fides, juſtitia, leges, innocentia incorruptæ ſtetêre, nam Tu penes eas ſtetiſti, qui ab illarum tutela nulla unquam ratione eras dimovendus.

Præcellentem autem doctrinam, ſummamqué rerum omnium notitiam, quis in Te *Princeps*, cui cognitus es non admiretur? quæ liberalium artium, quæ humanarum Divinarumqué ſcientiarū eſſe poteſt, quam Tu & laborioſiſſimè non conquiſiveris, & penitus non perceperis? Dicent Polona, Dicent Romana Gymnaſia, quam ſeriò ſeduloqué & illis quæ rerum notitîam animis ingerunt, & quæ ad Eccleſiaſticum Civilemque

Statum

Statum optimè noſcendū & cognoſcendum referuntur, inſudaſti. Jmo verò ipſæ quotidianæ Tuæ cum varijs variorum Statuum Conditionumq; hominibus converſationes, luculenter Te *Princeps*, quàm rerum omnium peritiſſimū tam doctiſſimum ſapientiſſimumqué profitentur; Seu enim vetera Tibi commemoranda? ita ea cōmemoras ac ſi primo facta eſſent; Seu præſentia reproducenda? ita reproducis ac ſi oculis cernerentur; Seu externa referenda ita ea refers, ac ſi domeſtica forent; Seu domeſtica alleganda, ita ea allegas ut modo rationeque nemo meliore; Situs, poſitio, amplitudo Regnorum, mores, conſvetudines, leges gentium, affinitates, fœdera, ſocietates populorum, Regnantium in Orbe, ac in unaquaque Ejus Regione Familiarum Nomina, eventus, res geſtæ, conſilia, viciſſitudines, præſtantiſſimo Tuo, ac ei ferme Divino adeo hærent impreſſa ingenio, ut non melius faſtis etiam impreſſa teneantur. Quod veró in rebus concipiendis, mentis Tuæ acumen; in proferendis, quæ verborum copia, ſvavitas, ornatus, & dignitas; in comprobandis, quæ rationum vis & nervus; profecto longe ampliore gloria vigerent apud nos pro nunc quam vigent, Græcæ alter, Romanæ alter Parens Eloquentiæ, ſi æqué huic ac illi hæc quæ Tibi *Princeps* ineſt, & ingenij felicitas & eloquij ubertas contigiſſet. Ut autem de humanis erudite, ut de Divinis (quoties Tibi ſe occaſio offert) ſublimiter & ſcite diſſeris, ſinimus nos equidem hæc in Te prædicare, & eo quo par eſt, & quo ipſa merentur proſequi eloquij cultu, cum ultra ingenium ultraque eloquium Noſtrum eorum ſint laudes & encomia, nihilominus tamen unum id de Te illiſque fatemur & profitemur, nimirum: ita Te in his verſatum eſſe, ut & Tu illis commendationi maximæ, & illæ Tibi gloriæ non poſtremæ ſemper eſſent & fuiſſent.

Ac cum in cæteris Artium Scientiarumqué paſſibus adeo Te *Princeps* ingenij Tui felicitas glorioſum reddidit, tum in illis, quæ ad Eccleſiaſticam referuntur

diſciplinam adeo excellentem reddit, ut Te cognitione eorum & notitiâ, aut nemo, aut vix quiſquam valeat adæquare. Porro *Princeps Celſiſſime*, cum vel ab ineunte ætate optimè jam noveras, cujus vitæ rationes eras ſuſcepturus, cuiqué Statui Nomen Tuum daturus, proinde ea Tibi vel maximè ediſcenda propoſuiſti, quæ & Te ſtatui illi perquam utilem, & Tibi ſtatum illum non inglorium reddidiſſent. Quare primordia incrementaqué Eccleſiæ, ritus & Cerimonias, arcanas regendæ & gubernandæ Eccleſia rationes, ita Tibi notas habes, ac ſi innatas habere cenſereris. Jn jure verò Pontificio ut verſatus es, utque excellis? nullum tam difficile Tibi uſquam contigit in ſide negotium, quod Tu ex æquo non compoſueris; nulla tam involuta obvenit cauſa, quam pro parte juſtiori, ſapienter non decreveris, nullus tam arduus tamqué perplexus eſt propoſitus caſus, quem Tu ad mentem Sacrorum Canonum juriſque Pontificij ſenſum, quàm prudenter, tam ſcitè non definiveris. Sanè ita omnes legis regulas, omneſqué Juris Eccleſiaſtici ita intra Te tenes & retines rationes, ut ea omnia quæ ad Ejus definitionem deciſionemque ſpectare & pertinere videntur facile *Princeps* habeas comprehenſa.

Accedit demum his tantis ac talibus virtutis & meriti, ſcientiæ & eruditionis in Te ornamentis affabilitas, modeſtia, humiliſque de ſe, rebuſq; Tuis ſenſus, quibûs Tu quidem virtutibus, tanto Te magis in ima demittis, quantò cæterorum adminiculô ſublimiora tenes dignitatis. Ea enim nimirum *Princeps* affabilitatis ratione polles, ut qui dignitate par primis, humanitate par infimis eſſe videaris. Equidem & omnibus & unicuique Eorum, qui Te acceſſerunt & accedunt tam facilem tamque benevolum Te ſemper præſtitiſti & præſtas, ut æqué ille qui numeroſo Clientum ſtiparetur comitatu, ac ille quem ipſa nonniſi ſubſequebatur & ſubſequitur inopia, uno vultu, unâ fronte,

te,

te, eádemque vultûs & frontis ſerenitate, ſemper fuerit à Te receptus, omnique tempore ad Te admittatur.

Neque verò Eum Te ideo & talem omnibus exhibes, quod Te in eo dignitatis faſtigio, quod ſummos quoſque decuit, conſtitutum eſſe, minime ignoraviſti, & ignoras, ſed quia tam modeſto tamque humili de Te rebuſque Tuis ferris ſemper, & ferebaris ſenſu, ut parem Te omnibus arbitrareris ſemper & arbitreris. Ab inde venit *Princeps* quod ſæpe eminentiores in Eccleſia effugeras dignitatis gradus, ſæpe Pontificias Tibi ultra oblatas evitaveras Infulas, hanc etiam Principem rejecturus Purpuram; niſi Te poſtulata Principis, preces Ordinum Reipublicæ, commodum utilitaſqué Patriæ ad eam ſuſcipiendam cöègiſſent.

Videat jam proinde Archi-Diæceſis, quem Pontificem, Senatus, quem Principem; Regia Majeſtas, quem Vice-Regem: Gentis Utriuſque Antiſtites, quem Primatem; Roma denique ipſa quem Legatum in Te nanciſcatur *Princeps*, & cum Eum Te adverterit, qui undequaque muneri huic, quod intra Patrij Regni limites maximum habetur, par accedas, ea jam ſibi Eccleſia, ea Patria ex Magiſtratu hoc Tuo eventura autumet omineturqué emolumenta quæ publicas res ſuas, ſimul ornent, & adaugeant. Redibit enim priſtinus Genti utrique apud exteras nationes honor, Te Primate Regni ſui, genere Nobiliſſimo; fidei orthodoxæ cultus, ſedis Apoſtolicæ reverentia, in animis populorum dilatabitur ampliſſimè, Te ejuſdem Sedis Legato Nato; pro DEO, Fide, Eccleſiaſticarū Præceptionū obſervantia zeloziſſimo, Templis, Aris, Altaribus, Altariumque rebus Sacris, cultus, à Clero & populo frequentatio, ab omnibus inviolata ſecuritas & immunitas ſervabitur, Te Antiſtite pietate exemplariſſimo; Sereniſſimæ Majeſtatis intenſæ circa adminiſtrandum Regnum gubernandamqué Republicam curæ imminu-

 entur,

entur, Te partem negotiorum Regni aſsumente Vice-Rege exactiſſimo. Senatus Authoritas, honor Equeſtris Ordinis,Diſtrictuum, Terrarum, Palatinatuum dignitas, tantò magis ampliabitur, quantò majore Tu authoritate honore & dignitate ſtipatus *Princeps* Eis primuſque accedis Senator; Libertas, Leges, boni Communis fortuna, tantò Te acriorem ſui aſſertorem experientur, quantò melius illis es inſtructus artibûs, quibus quid libertati conveniens, quid adverſum, quid juxta vel contra Leges, quid Regni fortunam augere vel diminuere ſolet plane cognita habeas; Urbes Civitates, oppida, Eorumque Jncolæ Eum Te jurium ſuorum ſentient Defenſorem, cui quam maxima, maximæ inſunt curæ, tam minima nuſquam deſunt & defuerunt. Religioſi Ordines, eorumqué cænobia, egeni, inopes pupilli, orphani, ſpe vitæ deſtituti eum Te ſui Protectorem, rerumqué ſuarum Tutorem habebunt & vendicabunt, qui ope, auxilio, largitionibus, largitionum ſtipendijs multis, eorum inopiæ, & egeſtati nuſquam es defuturus. Sacra hæc denique dignitas, ſacerqué hic Tuus in Eccleſia & Patria Magiſtratus, Eum Te habet, habebitqué, qui pro Tui Poloniqué gloria Nominis, & ita munia ejus ſis obiturus, ut nihil ſit, quod ad commendationem ſui Eccleſia & Patria ampliùs prætendere poſſit, & ejus prærogativas magno primum deſudantium in Vinea Domini, Cathedræ hujus Antiſtitum quæſitas labore, ac multis demum firmatas, confirmataſqué à Sede Apoſtolica munitionibus, ita in priſtinum ſtatum ſis relevaturus ut nihil poſtea ſit, de quo amplius dubitetur. Didiſti jam in manutenenda ſuſtinendaque ejus ratione luculentiſſima Operæ Tuæ documenta, cum controverſiam à multis cæptam annis, & per plures Tui Anteceſſores defenſam, ita Tu vel in primo ad Sacram Purpuram aditu defendiſti, ut integrum plenoque jure gaudentem Magiſtratum Tuum, ijs qui ſero Tibi ſuccedent, ſis conſignaturus.

Et

Et hanc Tuam *Princeps Celſiſſime* gloriam, quam jam Generis præſtantia, jam virtutis meritique in Eccleſiam & Patriam collati ratio, jam præſens hoc honoris faſtigium Tibi adſciverat, prædicantibus Nobis, plenoque de hac Tua fortuna perfuſis gaudio & lætitia quid demum ſupereſt, quam ut votis omnibus taciti & verba facientes, privatim & publice, tum ipſi nobiſcum verſantes, tum in cætu hominum exiſtentes, loco omni, actu omni, habitu omni temporeque omni ea eventura Tibi optemus & exoptemus, quibus præprimis in dies luſtra, in luſtra ætates, in ætates integra Vitæ Tuæ conijcias ſæcula, eos pro Eccleſia & Patria conſiliorum Tuorum legas eventus, quibus nemo Te felicior exiſtat, ac denique ſi quid eſt quod Primatialis Tui ſolij gloriam adaugere queat, quodque Tu Tibimet evenire precaris Sacræ huic quantocyus accedat Dignitati.